

aliquam partem recitaveris, praesumptio tibi favet, et te ab obligatione recitandi seu repetendi eximit. Item si dubites, utrum Superior iuste praecipiat vel dispenset, pro illo stat praesumptio; quia is rationibus tibi incognitis duci potest, vel de cognitis prudenter iudicare censetur. Insuper rectus ordo et bonum commune exigunt, ut in tali casu ipsi deferatur. — Ita communiter theologi.

II. *In dubio iudicandum est ex ordinariis contingentibus.* Axioma communiter receptum. — S. Lig. passim. Recidit haec regula ferme in praecedentem, cum in utraque praesumptio sit ratio ita iudicandi. Sed prior latius patet; siquidem praesumptio erui potest non tantum *ex ordinariis contingentibus*, sed etiam ex particularibus circumstantiis. — S. Lig. ibid.

III. *In dubio standum est pro valore actus.* Regula est iuris civilis, etiam rebus theologis communiter applicata. Hoc intelligendum est, si factum principale sit certum, et dubitetur de aliqua circumstantia vel conditione necessaria, aut de modo debito: v. gr. si dubites an cum sufficienti dolore peccatum confessus fueris, non teneris iterum confiteri. — S. Lig. lib. 1. n. 26. etc. Principium istud videtur etiam intelligendum 1° *in favorem libertatis*, modo non obstet contraria praesumptio, aut bonum commune Reipublicae, vel Religionis; 2° *contra libertatem* in foro externo, vel etiam in foro interno, cum agitur de bono publico, v. gr. de *contractibus*, praesertim de *matrimonio*. Ratio autem, cur illud principium non sit applicandum in omni casu contra libertatem, petitur ex alio principio superius memorato, nempe: *Non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet*. Porro non constat de obligatione, nisi urgeat aliqua evidens ratio iustitiae, Religionis, boni publici, vel alterius finis necessario obtinendi. — S. Lig. lib. 1. n. 26., lib. 6. n. 505. — Voit, n. 38.

76. — IV. *In dubio favores sunt ampliandi, et odia restringenda* (*Reg. Iur. can. 15. in VI.*); idest in dubio benigniora sunt praefenda. Unde secundum hoc principium, et communioem interpretationem haec statuenda videntur: 1° Quoties odia et favores separari possunt, odia sunt restringenda, et favores ampliandi, quantum fieri potest, quin vis sensui verborum inferatur. 2° Si odia et favores sint indivisibilia, tunc de intentione legislatoris ex ipsius verbis, ex subiecta materia, aut ex adnexis circumstantiis iudicandum est. 3° Si intentio legislatoris determinari clare nequeat, magis attendendum est ad favorem, quam ad odium. — S. Lig. lib. 1. n. 99.

*Odiosum* autem hic intelligitur, quidquid tendit ad poenam, vel laedit ius tertii, aut iuri communi opponitur. *Favor* vero, seu *favorabile*, quidquid libertati indulget, vel gratiam concedit, sine privatorum, aut communitatis, aut iuris ipsius detrimento.

V. *In obscuris, quod minimum est, tenendum* (*Reg. Iur. can. 30.*

in VI). Sic intelligenda est haec regula: Ubi non constat de vero sensu legis vel statuti, et inquisitione praemissa determinari neque ex natura rei, neque ex contextu verborum, aut loci consuetudine, aliave circumstantia potest, interpretatio minus onerosa seu libertati benignior admitenda est. Ratio est, quia legislator non censetur velle ultra id obligare, quod clare in lege exprimitur. Hinc in dubio de quantitate poenae infligendae, minima eligenda est. Item si non certo constet de delicto, reus absolvendus est.

VI. In dubio facti valent sequentia axiomata, seu regulae iuris civilis apud omnes receptae, scilicet 1° *In dubio, factum non praesumitur, sed demonstrari debet*. Hoc autem intelligendum est de dubio circa actum principalem, v. gr. si dubium sit, an quispiam alium percusserit, hoc factum praesumi non debet, sed qui affirmat, debet illud positive probare. — 2° *In dubio, praesumitur factum, seu recte factum, quod de iure faciendum erat*. Hoc intelligendum de dubio circa actum accessorium, supposita certitudine actus principalis; si quid enim de iure faciendum erat, aut si ordinarie fieri soleat, aut sit favorabile facienti, praesumitur factum esse. — 3° *In dubio nemo malus praesumitur, nisi probetur*. Hoc valet, quoties agitur de dubio alicuius delicti. Illud namque imputari non debet, nisi de eo certe constet. Ratio, quia delicta non praesumuntur; nec malus quisquam praesumitur, sed probandus est.

VII. *In dubio pars tutior est sequenda* (*Regula iuris canonici*). Haec regula restringenda est ad casus *dubii practici*, vel ad eos, in quibus finis est necessario obtinendus, nempe ubi probabilitas non removeret periculum, quod lex praecipit omnino cavendum, ut v. gr. in Sacramentis conficiendis, iuxta superius dicta n. 56., et ex omnibus hucusque expositis compertum est (1).

77. **Resolves.** — 1° Non licet sequi opinionem tantum *probabiliter* probabilem contra legem, quia illa opinio non est proprie et solide probabilis (2), et proinde nequit haberi ut ratio sufficiens ad legem incertam reddendam.

(1) Superius (in not. ad n. 70.) cum S. Alphonso animadversum fuit, ex communi DD. sententia hanc regulam, aliasve eiusmodi, quoad dubia speculativa esse de consilio, non autem de praecepto.

(2) Si verba, *probabiliter probabile*, adhibeas ad definitionem mere *nominali* et *arbitrariam*, adeo ut significare velis opinionem, pro cuius probabilitate ratio quaequam gravis ac solida, quae ad

prudentem assensum movere possit, nulla militet, esto quod Auctor habet. Verum si verba, uti par est, iuxta proprium sensum usurpes, aliter se res habet. *Probabiliter* enim aliquid affirmare, idem ex consensu omnium valet, ac aliquid ob *gravem, solidamque*, ac *prudentem* rationem asserere. Ergo si *probabiliter* quidpiam dicis probabile, spectato proprio verborum sensu oportet, ut ad id affir-

2<sup>o</sup> Non tibi licet sequi sententiam aliis probabilem, at tibi actu prorsus falsam (3). Ratio est, quia si iudices actu aliquid esse illicitum, et illud facias, in praesenti actu habes conscientiam peccati, ideoque agis contra conscientiam tuam. Ut ergo licite sequaris sententiam alienam, debes eam prius facere tuam, id est, iudicare eam esse probabiliter veram (4), vel obiectum eius esse probabiliter licitum. — Reuter, n. 105.

3<sup>o</sup> Non semper licet sequi quamlibet opinionem speculative probabilem; quia quandoque opinio speculative probabilis non est practice probabilis; nimirum potest dari actio in se quidem licita, quae tamen in praxi ob periculum scandali, irreverentiae, iniustitiae, etc. illicita evadat (5).

4<sup>o</sup> Non licet sequi opinionem probabilem, quando opposita apparet probabilissima; quia non videtur posse stare motivum grave in conflictu motivi gravissimi; unde talis opinio habenda est ut dubie vel tenuiter probabilis (6).

mandum prudenti, gravi ac solida ratione ducaris. Abs re ergo quod probabiliter, id est gravi, prudenti, ac solida ratione motus dicis probabile, hoc idem negares, proprie et solide esse probabile. Qua de re ad removendas ambages prodest sane in memoriam illud revocare, quod post S. Thomam et plerosque omnes DD. Scholasticos monet Suarez (*De Poenit.* Disp. 22. Sect. IX. n. 5.), in moralibus solidam ac prudentem probabilitatem morali cuiusdam certitudini aequipollere; quippe quia in eiusmodi maior certitudo haberi nequeat. Et hoc quidem etiam praxis communis suadet. Nonne enim ex communi consensu sat prudenter agere quis creditur, si probabile id habeat, quod tanquam probabile tradi reperit v. gr. a S. Antonino post S. Thomam, aut a S. Alphonso post Suarezium, etc.? Attamen equam demum certitudinem in hoc habemus praeter prudentem illam probabilitatem, quae, uti diximus, sapienti cuique sufficiens in eiusmodi videri debet?

(3) Ita si agatur v. gr. de sententia, seu probabili a S. Alphonso tradita, quod non adsit obligatio denunciandi Confessarium, qui mere sollicitationi consenserit. Tibi enim prorsus falsa erit, si noveris,

eam a Congregatione S. Officii, ut suo loco videbimus, fuisse damnatam, et quidem decretum illud S. Inquisitionis a Benedicto XIV fuisse (in Constit. *Sacramentum Poenitentiae*) Apostolica auctoritate confirmatum.

(4) Ut tuam facias opinionem alterius, necesse non est, ut ad assensum te moveant rationes eius intrinsecae; sed sufficiet, ut alterius auctoritas te in prudens de tua sententia dubium inducat.

(5) Tunc potissimum DD. opinionem dixerunt speculative tantum probabilem, non vero practice, quando licitus opinionis eiusdem usus illas exigit condiciones, quae in praxi vix aut ne vix quidem sperari possunt.

(6) Nunquam forte continget, ut spectatis intrinsecis rationibus quispiam probabilem censeat opinionem, cuius oppositam habet ceu probabilissimam; secus vero, si tantummodo spectentur Auctorum de eadem re iudicia. Nam reperies utique, a nonnullis tradi uti probabilem, imo teneri uti probabiliores opinionem, cuius oppositam alii defendant tanquam probabilissimam, quin et moraliter certam. Vid. S. Alph. lib. 6. n. 443. Tunc vero prudentem lectorem res ipsa monet, de re dili-

78. Quaesita. — QUAER. 1<sup>o</sup> An licitum sit uti probabilitate, non tantum in materia iuris positivi, sed etiam iuris divini et naturalis?

Resp. Affirm. quia in qualibet materia contingere potest, ut non constet de legis existentia, quoties nempe contra militat vera et solida probabilitas; ac proinde de tali lege datur ignorantia vere invincibilis. Porro Deus, auctor legis et principium ordinis naturalis, non censetur velle nos obligare, quando invincibiliter legis existentiam ignoramus. — Lacroix, etc.

QUAER. 2<sup>o</sup> An Confessarius possit, vel debeat absolvere poenitentem, qui vult sequi opinionem probabilem quidem, sed oppositam sententiae, quam ipse tenet?

Resp. Affirm. si poenitens adhaereat opinioni vere probabili cum conscientia efformata. Ratio est, quia poenitens habet ius sequendi opinionem vere probabilem, nec Confessarius ius habet ipsi imponendi proprias opiniones, etiamsi probabiliores ipsi videantur. Confessarius enim non est iudex opinionum, quas poenitens sequi teneatur, sed est tantum iudex dispositionis sui poenitentis, ut patet ex Trident. sess. 14. c. 5. — Ita S. Lig. lib. 6. n. 604. et alii communiter (7).

QUAER. 3<sup>o</sup> An probabilitas extrinseca constituat opinionem vere probabilem?

Resp. Affirm. saltem generatim loquendo; imo in quaestionibus, quarum solutio magnopere pendet a prudentum aestimatione, maior auctoritas maiorem constituit probabilitatem. Nam difficile est aliquid esse extrinsece probabile, quin pro eo sit ratio vere gravis. Rationabiliter autem praesumi debet adesse talem rationem, quando multi et graves Auctores tenent aliquam opinionem esse probabilem, quippe qui rei veritatem penitus perspexisse, et solidis motivis inniti merito censentur. — Hinc S. Thom.: *Aliquis parvae scientiae magis certificatur de eo, quod audit ab aliquo scientifico, quam de eo quod sibi secundum suam rationem videtur*, 2. 2. q. 4. art. 8. — Accedit etiam auctoritas S. Poenitentiariae. Etenim S. Congreg. interrogata, utrum sit inquietandus Confessarius, qui sequatur doctrinam S. Ligorii, quin rationes eius perpendat, sed tantum propter eius auctoritatem, respondit negative; et hoc responsum fuit a Summo Pontifice Gregorio XVI. approbatum. Ergo probabilitas extrinseca intrinsecam supponit. Ergo...

gentius esse inquirendum; et exinde facile apparebit, aut sine causa alteram dici probabilissimam, aut certe inaniter alteri aliquam tribui probabilitatem, uti in cit. loc. S. Alphonsi contingere suo loco videbimus.

(7) De hac re S. Alphonsus (Lib. 6.

n. 604.): *Confessarius vero, quoties sua opinio non est evidenter certa, non potest obligare poenitentem ad eam sequendam; unde tunc non solum potest, sed etiam tenetur eum absolvere.*

79. QUÆR. 4<sup>o</sup> *Quid sentiendum sit de illo principio probabilistis non paucis familiarissimo: QUI PROBABILITER AGIT, PRUDENTER AGIT?*

*Resp.* Principium istud sic enuntiatum falsum est (8), si habeatur ut principium primarium et *per se* vim habens. Ratio est, quia actio nequit esse prudens vi solius probabilitatis, sed id habet ex sola certitudine. Est autem verum, si habeatur tantum ut consequentia alterius principii primarii, quod sit *per se* regula ultima agendi, quale istud esse potest: *Non est obligatio, nisi de ea certo constet.*

QUÆR. 5<sup>o</sup> *Quomodo intelligendum sit axioma: IN DUBIO MELIOR EST CONDITIO POSSIDENTIS, et quinam eiusdem usus in conscientia efformanda?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Haec regula, prout a DD. tradi et admitti in scholis consuevit, nunquam de statu opinionis, sed solum de statu dubii presse sumpti intellecta et recepta fuit (9). Inter dubium autem et opinionem hoc semper discrimen extat, ut illud omnimodam assensus suspensionem inter duo contradictoria importet, haec vero assensum in alterutram partem, licet non sine formidine oppositae. Propterea manifeste corruunt ea omnia, quae Vincentius Bolgeni (*Del Possesso*, cap. XV.), et alii nonnulli post

(8) Istiusmodi quaestioni forte satius erat respondisse, illud principium utique probabilistis falsum videri potuisse. Quippe cum iuxta suum ipsorum systema contenderent, necessariam agendi honeste certitudinem solum ex directis et intimis subiectae materiae rationibus, nullatenus vero ex principiis reflexis repetendam esse, iure merito concludebant, nequaquam prudenter eum acturum, qui illud, quod sibi quoque verisimilius apparebat, minus verisimili posthaberet, quasi scilicet ceu verius id praeeligeret, quod minus verum ipse iudicabat. At enim plane desperet, qui haec tam absurda ac putida attribueret innumeris illis et gravissimis doctoribus, quibus familiarissimum fuit principium, de quo sermo est, usurpare. Eadem scilicet ratione effatum illud usurpabant, ac nunc quoque familiarissimum plerisque scholis est veluti certo principio uti ea sententia, quae in thesi praesenti proponitur, scilicet *prudenter et honeste illum agere, qui opinionem probabilem, etiam relicta probabiliori, sectatur.* Principia autem, quae eiusdem effati rationem red-

debant, modo DD. exprimebant, modo tanquam obvia ac notissima taciti praeteribant. Conf. Suarez (In 1. 2. tr. 3. Disp. 12. Sect. 3. n. 3. et Sect. 6. n. 8.), Laymann (*De Consc.* Cap. 5. §. 2. n. 7. et 8.), Vasquez (In 1. 2. q. 62. Cap. 5. n. 27. et Cap. 9. n. 44.), Silvestr. (V. Opinio, n. 1.), Barthol. Medina (In 1. 2. q. 19. art. 6. Concl. 3.), Sanchez (*In Decal.* Lib. 1. Cap. 9. n. 14. et 16.), etc.

(9) Ita Lugo (*De Iust. et Iur.* Disp. 23. n. 110.): *Bene advertunt DD., id procedere, quando est merum dubium negativum; nam si esset dubium positivum, et rationes probabiles pro utraque parte, tunc servandae essent regulae, quae communiter dantur circa conscientiam probabilem et regulariter debitor amplecti potest iudicium probabile.*

Quoad *dubium positivum*, manifeste vides in hoc Lugonis textu supponi *probabiles rationes pro utraque parte.* Id ipsum etiam Auctor satis clare dicit, dum nominat *assensum in alterutram partem non sine formidine de opposita.*

ipsum, ex isto axioma desumere contenderunt, ad usum opinionum probabilium, prout in scholis recipiebatur, impugnandum; quippe argumenta ab iis adhibita praeposteræ huius axiomatis intelligentiae tantummodo innituntur, quasi nempe illud *in dubio* eos quoque casus complectatur, in quibus probabilis opinio suffragatur.

*Resp.* 2<sup>o</sup> Hoc axioma valere tantummodo in materia iustitiae, non vero generatim in materia aliarum virtutum, censuerunt nonnulli, contenderunt vero praesertim probabilioristae, ne videlicet ex hoc principio, quod ab omnibus receptum videbant, vis accederet alteri principio, quod ipsi impugnabant, nempe *legem dubiam non obligare, aut ex lege incerta non posse certam obligationem induci.* Ita Billuart, *De actibus human.* diss. 6. art. 2.

Istud tamen axioma valere in aliarum quoque virtutum materia, communior (10) est et prorsus tenenda sententia; oppositamque opinionem merito Suarezius (*De Cens.* disp. 40. sect. 5. n. 15.) *falsam* dixit et *nulli fundamento ianixam.*

Et sane, ut idem Suarez advertit (*De Voto*, lib. 4. cap. 5. n. 7.), iura, ex quibus illa regula sumitur, generatim et sine restrictione loquuntur, ut in cap. *In pari* 65. *De Reg. Iuris* in 6<sup>o</sup> absolute dicitur, *in quacumque causa praeferri ius possidentis* (11).

Deinde, pergit Suarez (ibid. n. 8.) nulla ratio differentiae assignatur nec assignari posse videtur. Etenim in materia iustitiae principium illud vel fundatur in hoc, quod quando est dubium circa fundamentum obligationis..., est quaedam aequalitas inter obligationem restituendi et potestatem retinendi, et alioqui possessio rei confert aliquod ius, et ideo praevallet ius possidentis (12); vel fundatur in hoc quod propter solum dubium non sunt immutandae res ab antiquo statu, in quo bona fide exsistebant, quia cum in dubio sit aequalitas utrorumque, non est cur potius in unam partem obliget, quam in aliam; vel fundatur in hoc quod interveniente ignorantia invincibili insurgit excusatio obligationis, intercedente autem dubio intervenit ignorantia rei, de qua dubitatur, et facta diligentia ad expellendum dubium et perseverante nihilominus dubio, fit illa ignorantia inculpabilis, quia non fuit in potestate hominis illam depellere, et ideo

(10) Conf. Lugo, *De Iust. et Iur.* Disp. 23. n. 110.

(11) Ita Reg. Iuris 65. in VI: *In pari... causa potior est conditio possidentis.* Ita et L. In pari 128. ff. De div. Reg. Iuris: *In pari causa possessor potior haberi debet.*

(12) Huc faciunt quae habentur §. Re-

tinendae 4. Instit. De Interdictis: *Commodum autem possidendi in eo est, quod etiamsi eius res non sit, qui possidet, si modo actor non potuerit suam esse probare, remanet in suo loco possessio: propter quam causam cum obscura sunt utriusque iura, contra petitem iudicari solet.*

impedit obligationem; vel fundatur in hoc, quod obligatio est onerosa et suo modo odiosa, et ideo restringenda ut non oriatur, nisi ubi fundamentum eius moraliter certum est, praesertim ubi caetera non sunt paria. Atqui hae omnes rationes habent locum extra materiam iustitiae... Ergo.

Declarantur haec omnia et simul confirmantur ex doctrina S. Thomae, ubi agit de virtutibus iustitiae adnexis. Etenim, uti S. Doctor (2. 2. q. 80. art. 1.), et DD. omnes cum ipso advertunt, eiusmodi virtutes, quae dici etiam solent *potentiales iustitiae partes*, id habent sibi proprium, ut partim cum iustitia conveniant, partim a iustitiae ratione deficient. Porro cum ratio iustitiae in hoc consistat, *quod alteri reddat, quod ei debetur*, secundum aequalitatem; in eo deficient aliae virtutes a iustitiae ratione, quod vel aequalitatem servare non possunt, uti religio erga Deum, vel quod debitum non quidem legale reddant, sed dumtaxat morale, sine quo nempe honestas servari non potest: in eo vero cum iustitia conveniunt, quod *alteri reddant, quod ei debetur*, cuiusmodi erit obedientia erga Deum vel erga leges, quae omnes virtutes necessarias complectitur. Atqui si qua vis est axiomati, de quo agimus, in materia iustitiae, haec sane tota exeritur in eo, quod iustitiae commune est cum aliis virtutibus, quodque generali *debiti ratione* continetur, nempe definiendo, num in casu *debiti dubii* reddi quidpiam oporteat. Manifestum est ergo, hanc regulam in materia iustitiae aequè valere, ac in materia aliarum virtutum, quatenus sub obedientia Deo aut legibus debita comprehensae ad virtutem iustitiae ceu partes ipsius potentiales reducuntur (13).

80. — QUAER. 6<sup>o</sup> *Si dubites utrum alicui obligationi iam satisfeceris, tenerisne adhuc satisfacere?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> *Affirm.* prorsus, quoties agitur de dubio proprie dicto, seu de *dubio negativo*, aut de dubio *practico*; ratio est, quia in tali dubio nunquam contra legem agere licet, ut sequitur ex principiis supra positis, n. 39. 41. et 70. (14).

(13) Usum huius principii habes penes Suarez (In 1. 2. Tr. 3. Disp. 12. Sect. 5. n. 7.): *Si simpliciter dubitatur de tota lege... idest an sit lata, nec ne;... generalis regula est, non obligare. Ratio peti potest ex illo principio, quod in dubio melior est conditio possidentis; homo autem continet (scil. possidet) libertatem suam... Si vero constet de lege et sensu eius, dubitari potest, an in hoc casu obliget: et tunc generalis regula est, si nulla sit sufficiens ratio*

*probabilisque ad excusandum, tunc obediendum esse legi, quia ipsa vel superior continet ius suum.*

(14) Hoc sequitur etiam ex principio: *In dubiis melior est conditio possidentis.* Unde Lugo (*De Poenit.* Disp. 16. n. 59.): *Conveniunt omnes in hoc quod is qui scit, se peccasse mortaliter, dubitat autem, an illud peccatum sit confessus, debeat illud confiteri: nam tunc possessio est contra poenitentem; constat enim de peccato et de obligatione*

*Resp.* 2<sup>o</sup> Si autem agatur de *dubio positivo*, seu de vera et solida probabilitate, controversum fuit.

Affirmant cum quibusdam aliis Concina, Collet et Antoine; et rationem desumunt ex hoc principio: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam.* Etenim (inquiunt) lex semel existens et imperans ius habet exigendi rigorosam obedientiam, seu indubiam obligationis impletionem. Porro quando tantum probabiliter, aut etiam probabilius existimas te legem adimplevisse, ipsi rigore minime satisfecisti. Ergo adhuc te urget et premit, usquedum certo satisfeceris.

Communissima tamen (15), et prorsus rationi consona sententia est, eum, qui probabiliter alicui obligationi satisfecit, ad nihil ulterius teneri.

*Prob.* 1<sup>o</sup> Cum probabilitas gravi et prudenti iudicio fulciatur; quisquis ergo probabiliter satisfacit obligationi, illud agit quod prudenti iudicio sufficit ad praeceptum implendum. Atqui neque aequitas patitur, ut plus exigatur, quam quod prudenter creditur sufficiens ad implendum praeceptum, neque plus aliquid velle merito censetur prudens et aequus legislator. Ergo.

*Prob.* 2<sup>o</sup> Quaelibet exactio ultra id, quod probabiliter sufficit ad implendum praeceptum, contra se habet prudentis huius iudicii probabilitatem. Atqui exactio, contra se habens iudicium probabile, evadit quoad hoc obligatio seu lex incerta, quae (ut ex dictis superius constat) vim obligandi habere non potest. Ergo.

*Prob.* 3<sup>o</sup> Ab absurdo. Si enim obligationi certae itidem certam satisfactionem postules, nedum per probabilem aut probabiliorem, sed ne per probabilissimam quidem satisfactionem praeceptum dici poterit impletum; nam semper locus superest reponendi, certam esse obligationem, satisfactionem vero incertam seu minus certam. Atqui hoc recta via ad damnatum tutorismum adducit. Hinc etiam Billuart (*De Sac. Poenit.*

*confitendi, non autem constat de confessione.* Adverte autem hic sermonem esse de *dubio negativo*; nam ibidem Lugo negat adesse obligationem confitendi, quando etiam *solum probabiliter existimatur (illud peccatum) fuisse dictum in confessione.*

(15) Lugo (*De Poenit.* Disp. 16. n. 58.): *Communiter docent omnes, non teneri (quempiam) ad confitendum illud (peccatum), quod probabiliter iudicat, se... confessum iam fuisse; quia iam sequitur iudicium probabile, quod sicut*

*in aliis materiis, ita etiam in hac sufficit ad implendum praeceptum.* Et infra n. 59.: *Nihil frequentius apud Theologos, quam excusare a reiteranda confessione eum, qui confessus est... iuxta probabilem aliquam sententiam de eius valore.* Vid. Suarez (*De Poenit.* Disp. 22. Sect. 9. n. 6.), Bonacina (*De Poenit.* Disp. 5. Q. 5. Sect. 2. §. 3. Di. 4. n. 3. 4.), Salmantic. (*De Voto* Cap. 1. n. 45.), Roncaglia (Tr. 8. *De II. Praec.* Cap. 2. q. 4. *Resp.* 2.), etc.

diss. 7. art. 2. §. 4.) et alii, licet probabiliorismum tenerent, censuere tamen sufficere, si legi probabilius satisfacias. Ergo (16).

Quoad axioma, quod obiicitur: *Non satisfit obligationi certae per impletionem dubiam* (17), respondetur, verum esse, quoties sermo est de dubio practico vel negativo, non vero si libertati faveat vera et solida probabilitas.

(16) Quidam putant, S. Alphonsum in oppositam opinionem cum Antoine et Concina demum devenisse, quia Lib. 1. n. 28. cum iisdem censet, eum qui probabiliter iudicat, se iam voto satisfecisse, teneri adhuc ad votum implendum, licet ipse prius probabilem dixisset sententiam negantem.

Sed re ipsa falsum est, S. Alphonsum recessisse a communi doctrina. Hoc patet evidenter ex haece, quae habet eodem Lib. 1. n. 99. in fine: *Quid in dubio, an legem impleveris? In dubio negativo teneris implere; secus in positivo.* Et rursus Lib. 3. n. 290.: *In dubio de consuetudine (scil. derogante legibus) possidet praeceptum, unde petenda est dispensatio; secus si probabile sit, adesse consuetudinem.* Et rursus Lib. 3. n. 112. q. III. §. *Secunda sententia*, scribit: *Hic non versamur in dubio, sed in opinione probabili... Quando autem probabile est, quod... lex abolita sit, tunc cessat praesumptio pro lege, et possidet libertas.*

Ergo S. Alphonsus suam opinionem utique mutavit quoad quaestionem specialem, *De voto*, non vero quoad generale principium. Et quidem illa quoad votum resolutio videtur accipienda, de eo, qui incertus sit, an aliquid ad votum implendum praestiterit, nec ne; non autem de eo, qui aliquid fecerit, et incertus tantummodo sit, an illud ad implendam promissionem sufficiat. Nam alioqui centies imo et milies S. Alphonsus inculcat, tutissimum in conscientia eum esse, qui quoad obligationes probabile iudicium sequatur, cum

totum eius opus morale huic innitatur principio.

(17) Alii aliis verbis obiiciunt: *Debito certo non satisfit per solutionem incertam; et si debes ex contractu certum, non liberaris ab obligatione totali, nisi per solutionem certam.* Respondet autem Card. Lugo: *In primis si illa certum debeantur ex promissione liberali, videtur satisfieri solutione probabili; sicut qui ex voto debet ieiunium, si ieiunet observando ieiunium iuxta probabilem opinionem... Si autem debeantur ex contractu oneroso, ut ex emptione, permutatione etc., tunc fortasse non satisfit; quia non servatur aequalitas dando pro re certa aliam incertam, quae eo ipso minus valet; et quia intentio contrahentium ea videtur esse, ut detur sibi pecunia certa pro mercibus certis: quae rationes... non procedunt in aliis omnibus praeceptis, in quibus obligatio est certa audiendi sacrum, v. gr. ieiunandi, recitandi officium, etc., et tamen satisfit homo, si iuxta probabilem sententiam ieiunet, audiat sacrum, vel recitet officium, etc.* Ita Lugo (*De Poenit.* Disp. 16. n. 59. 60.), qui seite etiam de *contractu oneroso* dubitanter dicit: *fortasse non satisfit*; nam si res sit de contractibus, quos *bonae fidei* appellant, in quibus nempe iudici fit facultas multa ex aequo et bono inter litigatores arbitranda, iam et ipsa *aequalitas*, quae in contractu oneroso servanda est, *prudenti* idest *probabili* iudicio determinari solet.

QUAER. 7<sup>o</sup> *An inter plures opiniones probabiles liceat modo hanc, modo oppositam sequi?*

*Resp. Affirmative* (18). Ratio est, quia inter probabiles opiniones nulla datur *formaliter* tutior et securior altera. Omnes enim sunt aequae securae (19). Insuper si tenearis opinionem sequi, quae tibi probabilior apparet, nec possis ex probabili aliorum sententia operari, mille scrupulis agitari debes, et singulis horis opus variare, cum iam uni opinioni ceu probabiliori adhaereas, iam contrariae, etc. — Pal. *De Cons.* disp. 2. punct. 2. n. 2. 3. Sed vid. *Casus*, t. I. n. 75.

(18) Non licet tamen Confessario uti probabili opinione ad imponendam obligationem, quando opposita quoque est probabilis, cum ex dictis sup. n. 78. q. 2. poenitens ius habeat hanc sequendi, et Confessarius teneatur eum absolvere. Nec refert, utrum id poenitens sciat. Iniquissimum enim foret, poenitentis ignorantia ita abuti, ut ipsi imponatur obligatio, quae a Deo legislatore non imponitur, et quae insuper poenitenti in perditionis laqueum cedere posset.

(19) Cave tamen, ne ad absurdam contradictionem ita rem deducas, ut dum ex opinione quapiam commodum aliquod aucuparis, incommoda huic adnexa praetextu oppositae opinionis recuses. Sic absurde ageres, si probabili usus opinione hereditatem adires provenientem ex testamento, quod formis careat legalibus; et deinde praetexta sententia, quae hoc testamentum negat valere, legata solvere abnueres. Quippe qui assumit hereditatem, et onera necessario adiuncta assumit.